

peribus villanis ac oppidanis licitum sit vendere die Dominico vel festo alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, Poma, & alia legumina; vel sit licitum eis finita Missa, post prandium de campo tempore messis, cum timetur de pluvia, portare cum pecoribus vel equis, vel curribus, linum, scenum, & alia blada humano usui convenientia? Respondit Pontifex: "Dicendum est, quod cessante necessitate ab omni opere servili abstinendum est diebus Dominicis & Festivis; sed necessitate cogente, non tamen affectu seu procurata, licitum est praemissa exercere." Habetur apud Odoricum Raynaldum ad annum 1447. n. 28.

Recte dixit Nicolaus, necessitate non affectu seu procurata: nonnulli enim ea quae diebus feriatis agere, aut procurare debent, in diem Dominicum aut Festum ex proposito differunt, atque ita necessitatem affectant seu procurant; contra quos tanquam diem Festorum violatores agit Catechismus Romanus in expositione tertii praeccepti Decalogi n. 29.

XIX. Si circa licentiam opera vetita diebus Dominicis & festis exerceantur, ex Decretis Synodorum etiam paenis pecuniariis adversus violatores agendum; quibus "per Offi-

cialium Mechliniensem inflicti, requisitus Amanus Bru-xellensis noluit sententiae executioni mandare, quasi ea auctoritas Ecclesiae non competeret, & juri Principum derogaret: sed instante Illustriss. Archiepiscopo Mechlin., à Cancellaria Brab. facta relatione Principi, condemnatus fuit eas sententias executioni mandare. 28. Maji 1605. Ita Zyprus in Jure novo tit. De Feriis n. 2.

XX. Edictum Principum nostrorum de anno 1607. ut efficacior & promptior sit executio eorum quae ibidem pro cultu dierum festorum statuta sunt, vult contra violatores procedi tam per judices Ecclesiasticos, quam Civiles jure praeventivis: ita tamen ut si per judicem Ecclesiasticum procedatur ad multam pecuniariam, ea fiat cum decenti moderatione, applicanda ad usum pauperum aut Hospitalium speciatim in sententia exprimentorum.

Insuper si citatus coram Judice Ecclesiastico alleget, probetque secum dispensatum ratione alicujus necessitatis per Officiarium vel magistratum loci cum advisamento Pastoris, ut eodem Edicto ordinatum est, ipse Judex Ecclesiasticus tenebitur super sedere, neque ulterius inquirere poterit, an dispensatio bene vel male data sit.

TITULUS XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT I.

Origo & Definitio Beneficiorum.

1. Beneficium olim vocatum praedium Episcopale.
2. Beneficium & feudum olim coincidebant.
3. Praedia Clericis in alimentacionem assignata Beneficia vocari ceperunt; & quare?
4. Multis seculis dispensatio praeventivum Ecclesiasticorum mansit penes Episcopos.
5. Subinde praedia Clericis utenda concedebantur.
6. Ex his concessionibus habetur Beneficiorum origo.
7. Haec concessionis primitus tantum erant personales intuitu meritorum.
8. Rerum Ecclesiasticorum dispensatio qua ratione Clericis committi ceperit?
9. Primitus concedita vita eorum durante.
10. Tantum illis qui operam Ecclesiae impenderent.
11. Quomodo titulus portio annexa fuerit.
12. Unde titulus Beneficii nomen obtinuerit?
13. Definitio Beneficii juxta Canonistas.
14. Alia Theologorum; sed utraque coincidit.
15. Officium Ecclesiasticum est fundamentum Beneficii, etiam secundum Canonistas.
16. Non alium in finem hodie proventus Ecclesiastici dantur Clericis, quam olim.
17. Nullum Beneficium sine officio.
18. Beneficium debet esse perpetuum; & quare?
19. Beneficia manualia non sunt propria Beneficia.
20. Beneficium debet erigi auctoritate Episcopi.
21. Id pristina disciplina consentaneum est.
22. Quamcumque conditionem adjecerit fundator, fundatio Beneficium non est sine Episcopo.
23. Non sufficit data facultas celebrandi Missas.
24. Etiam si essent perpetua ad vitam possidentium.
25. Vicarii perpetui deputandi erecto titulo.
26. Beneficium non praesumitur, si administratio proventus ad tertium pertinet? & quare?
27. Spiritus Ecclesia circa Beneficia semper idem.
28. Cur conveniat scire pristinam Ecclesia circa Beneficia disciplinam?

I. Beneficium, ait D. Du Cange in suo Glossario verbo, *Beneficium*, "Scriptoribus mediae aetatis, dicitur praedium fiscale, quod à Rege vel Principe, vel ab alio quolibet, ad vitam viro nobilitentem, dum conceditur. Ita autem appellatum est, quod ex merito datus Beneficio ac liberalitate illud possideatur." Haec ille, qui & ibidem notat, quod & eodem penè sensu Latini hanc vocem usurparunt, & praedia quae Principes militibus aliiq; largiebantur, *Beneficia* appellarunt.

II. Posthaec exponit, quae esset horum Beneficiorum conditio, & scopus; ostenditque ea naturam hodiernam feudorum habuisse; unde & factum est, ut illud quod *Beneficium* primitus fuit appellatum, postmodum *feudum* nomen acceperit, ita ut *Beneficium* & *feudum* pronuncie usurpentur in libris feudorum.

III. Cum autem successu temporis praedia Ecclesiae Clericis bene meritis, tanquam Ecclesiae *militibus* ad usum dari ceperunt, etiam eadem ratione *Beneficia* appellata sunt. Quando autem praedia & fundi aliaque res immobiles Clericis concedi ceperint, incertum est.

IV. Hoc certum est, multis seculis, dispensationem proventus Ecclesiasticorum mansisse penes Episcopos eorumque oeconomicos & Archidiaconos; ut secundum proportionem in Clericos, fabricam Ecclesiae, pauperes, & usum Episcopi distribuere.

V. Adhaec constat, quod & subsistente hac dispensandi oeconomici; subinde terrae ac praedia nonnulla Clericis utenda concederentur.

Sic legitur in *Canone 23.* Concilii Aurelianensis I. Anno 511. "Si Episcopus *humanius* intuitu, vineolas, vel terrulas, Clericis & Monachis praestiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiam longa transire annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia praedictum patitur nec seculari lege praescriptio quae Ecclesiae aliquid impediatur apponatur.

Et magis ad propositum ex Epistola Symmachi Papae, qui sedit sub finem seculi quinti legitur apud Gratianum *Caus. 16. q. 1. Can. 61.* "Possessiones quas unusquisque Ecclesiae pro-

proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argumento non patitur: nisi forte aut Clericis bonorum meritum, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaerit: sic tamen ut haec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perficiantur.

VI. Hic habemus, Clericis bene meritis ab Episcopis possessiones Ecclesiarum datas fuisse, quae tanquam ex Episcoporum beneficentia profecta, *Beneficia* ceperunt dici: non secus ac praedia à Principibus concessa viris nobilibus, aut militibus ob eorum merita.

Unde ad hanc Symmachi Epistolam reflectens Cardinalis Baronius monet, hinc, quae beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum esse. "Cum enim solent Clerici ab ea Ecclesia per Episcopum singulis mensibus victus causa meritam stipem accipere, postea factum, ut aliquibus ex his Ecclesiae possessiones, quoad viverent, ab ipso Episcopo concederentur, quae *Beneficia* dici ceperunt, eo quod (ut Symmachus in ea Epistola) bene meritis tantummodo concedere liceret." Ad annum 502.

VII. Interim ex citatis verbis tum Concilii Aurelianensis, tum Symmachi, ad oculum patet, admodum raras fuisse has concessiones, neque lege ordinaria, sed tantum ex singulari aliqua necessitate, aut ob singularia personae alicujus merita factas.

VIII. At labentibus seculis disciplina Ecclesiae labescente, nec non Episcoporum, Oeconomicorum vel Archidiaconorum in rebus Ecclesiae dispensandis fidelitate & integritate à pristino suo gradu declinante, frequentissime fuere disensiones & querelae inter Clericos quibus, proventus Ecclesiae distribui debebant, & eos, quibus dispensationis cura incumbebat.

Hinc Clerici, ut se à praetensis vexationibus, & injusta dispensatione eximerent, primo ceperunt singuli Presbyteri sibi arrogare oblationes in Ecclesia propria factas; quae antea ad Episcopum dividendas ferri consueverant.

Cum jam jus percipiendi oblationes easque suis usibus applicandi ad singulos Presbyteros esset devolutum, tandem etiam ceperunt res Ecclesiasticae passim dividi; atque singulis sua portio fundorum, unde proventus ipsimet reciperent, assignari: quod quidem non eodem tempore, nec ubique aut aliquo Decreto Concilii introductum; sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transit.

IX. At illud notandum, quod sicut praedia quae *Beneficario* jure à Principe possidebantur, mortua personam extinguiebantur, & ad Principem revertebantur; ita quoque primitus comparatum fuisse videtur, ut res Ecclesiae jure *Beneficario* Clericis concessae, tantum ad eorum vitam censerentur datae; ipsaeque possiderent non *jure tituli*, sed tantum *jure personalis*; ut ita post mortem totaliter ad Episcopum dispositionem reverterentur.

X. Ulterius quemadmodum Principes sua bona jure *Beneficario* dabant iis qui servitium militare aliave obsequia praestarent, similiter Episcopi bona Ecclesiae possidenda vel utenda, seu potius jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiae *militarent* seu officium exhiberent, quibus juxta vocationem suam. Hinc illud vulgatum approbatum per Bonifacium VIII. in *Cap. fin. De Rescriptis in 6. Beneficium datur propter officium*; ubi Beneficium accipi pro jure percipiendi proventus, nemini dubium est.

XI. Cum verò incommodum videretur, quod moriente Presbytero successor ejus jus percipiendi proventus ab Episcopo, ejusque quasi liberalitate recipere denuo deberet, ceperunt singulae Ecclesiae jus percipiendi proventus intra limites suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, independentem ab Episcopis, vindicare; invaluitque tandem juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, alioque proventus intra fines suarum respectivè Parochiarum provenientes.

Jus itaque fructus percipiendi jam non personis, sed Ecclesiae Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

clesis, seu titulis annecti coepit: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur: quae disciplina tandem universaliter obtinuit & recepta fuit.

XII. Hinc ulterius factum, ut ipse titulus tandem nomen *Beneficii* ferè obtinuerit; tum quod illo obtento ipsum jus percipiendi proventus tanquam annexum obtineatur; tum quod Ecclesiasticum officium, sive ministerium tanquam *principale*, jus verò percipiendi proventus, ut *minus principale* & *accessorium* considerari & reputari debeat.

XIII. Canonistae retinentes primam *Beneficii* nomenclaturam, qua significatur, jus percipiendi certos proventus Clericis tanquam *militibus* Ecclesiae concessum, illud solent definire: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter officium spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum.

XIV. Theologi verò Beneficium magis considerantes penes titulum & officium Ecclesiasticum, definirunt illud, exprimendo ipsum officium, seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, hoc modo: Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.

Verum si Canonistarum sive Theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cum & prior definitio sat exprimat, ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum esse principale, atque jus percipiendi fructus esse accessorium.

XV. Et licet Canonistae dicant, officium Ecclesiasticum non esse proprie Beneficium, fatentur tamen, esse *fundamentum* & *causam* Beneficii; quemadmodum loquitur Andreas Vallensis ad titulum De Praebendis §. 1. *num. 4.*

Hoc sensu ait Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 5. De Reformat. Beneficia ad Divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda esse constituta.* Et Innocentius III. *lib. 1. Epist. 2. 2.* ad Auxitanum Archiepiscopum scribit: "Dignitates & caetera Beneficia Ecclesiastica pia Fidelium devotione constituta fuerunt, certis assignanda personis, ut per ipsas personas in Ecclesiis *devotum servitium* jugiter impendatur.

XVI. Hinc patet, quod licet sensim circa proventus Ecclesiasticorum dispensationem disciplina invaluerit diversa à pristina; tamen Ecclesia eodem semper spiritu procedens, Beneficia Ecclesiastica, seu jus percipiendi proventus ex bonis Ecclesiae non alium in finem Clericis assignata voluerit, quam quo ab initio eis per Episcopos stipendia vel sportulas, aut annonas sive alimenta suppeditari voluit; nempe ut qui Altari servit, de altari vivat; utque possent *vacare legi Domini*, quemadmodum dicebat piissimus Rex Ezechias praecipiens *populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis lib. 2. Paralipom. cap. 31. v. 4.*

XVII. Unde nec ullum Beneficium sine officio esse potest, quia uti "Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat, ita nec bono jure is, qui non servit Altari de Altari vivit sicut stipendium non debetur nisi militanti," ait Synodus Colonienfis anno 1549. *tit. 9. Can. 3.* Neque esse ex intentione Ecclesiae ut ullum Beneficium quantumvis *simplex*; uti vocant, sit sine officio, infra ostendemus.

XVIII. Dicitur in definitione, jus *perpetuum*; hoc est *ad vitam* Beneficiarii: quae perpetuitas ex ipsa Apostolica Doctrina, & pristina Patrum disciplina originem ducit. Docet enim Apostolus, ut *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat 1. Ad Corinth. cap. 7.* Hinc & fixa perpetuaque fuit Ecclesiae disciplina innovata per Synodum Tridentinam, ut dum quis alicui Ecclesiae legitima auctoritate & vocatione adscriptus est, in ea permaneat, ubique suis fungatur muneribus, *Sessio. 23. cap. 16. De Reformat.*

Cum autem per quodcumque Beneficium Clericus ad-

scribitur certae Ecclesiae, voceturque ad certum Officium seu Ministerium Beneficio correspondens, ratio ipsa vocationis, ipsaque Patrum disciplina suadent, ut in eo perpetuo maneat, neque ab eo removeatur aut discedat, nisi iusta aliqua ratio aliud persuadeat.

XIX. Hinc communiter concludunt Canonista, quod si aliquod officium cum annexo jure percipiendi fructus erigatur temporale & ad nutum revocabile, non esse proprie Beneficium Ecclesiasticum; & si de perpetuo fiat amovibile ad nutum seu manuale, amittere naturam veri Beneficii.

XX. Ulterius ut sit Beneficium, atque pro Beneficio Ecclesiastico reputetur, requiritur, ut sit per perpetuum auctoritate Ecclesiae, seu Episcopi aut Pontificis constitutum; quod etiam ex ipsa Patrum disciplina originem habere, non obscurum est.

XXI. Antiquitus enim nemo Ministeriis Ecclesiasticis applicabatur, nisi ex Episcoporum auctoritate. Ipsa quippe ordinatio Clericorum Ecclesiae cui in Ordinatione adscribebatur, tamquam illius ministerium alligabat, ut ibidem sui Ordinis muneribus fungeretur; atque hoc pacto illius Ecclesiae Clericus vel minister, seu ut hodie loqui amant, Beneficiarius constituebatur.

Ad haec ministeriorum seu officiorum ordo, per Clericos observandus, ab Episcoporum auctoritate pendebat, nullumque officium seu ministerium sine eorum consensu quisquam suscipere poterat.

Dispensatio quoque proventuum Ecclesiasticorum primitivis ipsorum arbitrio credita erat.

Haec Episcoporum auctoritas, ut aliquo usque salva persistat, & munia Ecclesiastica eorum interventu suscipi, & Ecclesiasticae possessiones ab ipsis ad Clericos derivari videantur, visum est, nullum reputari verum Beneficium Ecclesiasticum, vi cuius Clerici Ecclesiasticis muniis alligantur, & jus percipiendorum Ecclesiasticorum proventuum adipiscuntur, nisi auctoritate Episcopi jus tale probatum, atque pro vero titulo Ecclesiastico agnatum fuerit: quo fiat ut dum Clericus vi hujus Beneficii seu tituli functionibus Ecclesiasticis applicatur, & jus ad fructus annexos acquirit, ea auctoritate Episcopi quodammodo fiant.

XXII. Hinc concludunt Canonista, quod etiam si testator in simplici legato cum onere Missarum voluerit, quod ad illud debeat praesentari Clericus, sive Sacerdos ab Ordinario institutus, si tamen non intervenit auctoritas Episcopi, atque hac auctoritate erectum sit in Beneficium, tale legatum non erit Beneficium; uti post alios notat Pyrrus Corradus lib. 1. Praxis Benef. cap. 2. additque, quod nec per quamcumque conditionem Beneficio Ecclesiastico congruentem a testatore adjectam, legatum reputari poterit Beneficium, nisi auctoritas Episcopi intervenierit.

Post haec concludit: "Nec proinde similis dispositio obnoxia est ceteris solemnitatibus, ac requisitis Beneficiorum Ecclesiasticorum, quae ipsis tantum Beneficiis conveniunt, si non adsit praedictus Ordinarii consensus.

XXIII. Quinimo etsi Episcopus concesserit facultatem celebrandi Missas fundatas ad certum altare, aut Capellam, non propterea haec fundatio censetur Beneficium: quia neque per hujusmodi facultatem censetur illam in Beneficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse: cum hujusmodi actus celebrandi cadat etiam in privatis oratoris, in quibus non potest celebrari nisi de ipsius Episcopi licentia." Pyrrus Corradus ibid. num. 23.

XXIV. Et licet etiam hujusmodi fundationes aut Capellanae essent perpetuae ad vitam ipsius Capellani, qui postea vitam durante proventus fundationis uti; tamen Beneficia non erunt, neque legibus beneficiorum regentur, nisi auctoritate Episcopi in titulum Beneficii fuerint erecta. Et si ad talem fundationem quis ad Ordines promoveretur, non diceretur promotus titulo Beneficii, sed titulo Patri-

XXV. Cum Vicarii perpetui juxta hodiernam disciplinam sint veri Beneficiarii, conformiter ad haec dicta respondit sacra Congregatio, quod Vicarii perpetui constituti non possint in vim Concilii Tridentini sess. 7. cap. 9. De Reformat. nisi prius erecta sit Vicaria perpetua auctoritate Episcopi in titulum; apud Fagnanum ad Cap. AD AUDIENTIAM De Rescriptis num. 100.

XXVI. Quia ex moderna disciplina (uti supra notavimus) reditus ipsi titulo Beneficii sunt annexi; atque ipse Beneficiarius vigore ejusdem tituli accipit jus percipiendi proventus illos vitam sua durante, judicatum aliquando fuit, testatorem noluisse Beneficium erigi ex eo quod voluisset, ut custodia & sollicitudo capella cum libera administratione hereditatis illi relicta, esse deberet penes quemdam Abbatem; ita Pyrrus ibid. num. 20.

XXVII. Ex his quae de perpetuitate, nec non erectione tituli auctoritate Episcopi dicta sunt, non difficile colligi potest, quod si omnia quae, juxta modernam Ecclesiae disciplinam ipsa Beneficiorum conditio, erectio, collatio, & Beneficiarii obligatio requiruntur, ritae & ex mente Ecclesiae expendentur, apparet, etiam Spiritum Ecclesiae in his mansisse invariatum; tamen exterior disciplina in multis sit mutata.

XXVIII. Hinc ulterius intelligeretur, quam utile, imo pene necessarium sit, non tantum de moderna, sed etiam pristina circa Beneficia disciplina esse instructum; ut ex hac notitia facilius ipse Ecclesiae Spiritus, qui semper praecipue attendendus est, percipi; ipsaque exterior disciplina, quantum possibile, secundum illum spiritum dirigi possit.

CAPUT II.

De Dignitatibus, & Personatibus.

1. Definitio Dignitatis.
2. Primitis saeculis ignotum nomen Dignitatis prout hodie accipitur.
3. Quae hodie Dignitates dicuntur, durante vita communium Canonicozum et ante plerumque simplicia officia.
4. Deferta vita communis sensum in dignitates degenerant.
5. Quid personatus?
6. Personatus multis saeculis ignotis, unde originem sumpserint?
7. Textus juris qui personatus & dignitates pro Synonimis habere videntur.
8. Nonnumquam in jure distinguuntur.
9. Conciliatio textuum.
10. In Belgio Personatus rariores, & inter simplicia Beneficia reputantur.
11. Vera dignitas debet esse cum administratione, licet hodie etiam sine ea destituta.
12. Officium cum praeminentia non dicitur dignitas, nisi in titulum perpetuum sit erectum.
13. Vicarius generalis Episcopi non censetur in dignitate constitutus.
14. Unde dignoscatur an Beneficium sit dignitas: & de praeminentia inter Dignitates?
15. Pars honorifica qua in dignitate constituitis competere solent.
16. Super his juribus contentiones vitanda.
17. Quare haec iura honorifica defertantur?
18. Ad quid Dignitates Ecclesiasticae instituuntur?
19. Unde contingat, dignitates Ecclesiasticas a multis ambiri?
20. In inferioribus Beneficiis aliqua tolerantur, non toleranda in Dignitatibus.
21. In materia dispensationis nomine Beneficii non veniunt Dignitates.

22. Dispensatio ad Beneficia curata & alia quaecumque non comprehendit Dignitates curatas.

22. Dispensatio ad Beneficia curata & alia quaecumque non comprehendit Dignitates curatas.

23. Dispensatio super Dignitatibus non complectitur Dignitates majores.

24. Quae sint Dignitates majores in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis?



Dignitas dicitur (ait Rebuffus) quadam praeminentia cum jurisdictione, quae cognoscitur ex praeminentia, jurisdictione, quando ad hoc est instituta, ut sit dignitas, & ex consuetudine, quando consuetudo facit, ut sit dignitas. In praxi Benef. part. 1. tit. Seculare Beneficium quotuplex num. 7. Beneficia igitur, quibus hujusmodi praeminentia vel ex institutione aut consuetudine annexa est, vocantur Dignitates.

II. Primitus dignitatum nomen hoc modo sumptum incognitum erat. Cum enim primis Ecclesiae saeculis, nondum exortis Beneficio cum titulis, per solam ordinationem Clerici Ministeriis Ecclesiasticis applicarentur; ipsaque Ecclesiastica munia essent ipsis Ordinibus annexa; atque per ipsam ordinationem jus percipiendi proventus Ecclesiasticos consequerentur, omnis quoque prerogativa ex praeminentia a dignitate Ordinum petebatur; isque major in ministerio Ecclesiastico reputabatur, qui major erat in Ordine.

III. Ad haec, quamdiu Canonici Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum in communi quasi Regulares vixerunt, nomen dignitatis vix notum fuit: imo pleraque quae hodie in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis pro Dignitatibus reputantur, olim vita communi durante non Dignitates, quin nec Beneficia fuerunt, sed simplicia officia, quae a Superioribus pro arbitrio committebantur & adimebantur; quemadmodum ostensum est parte 1. titulo 11. ubi de Dignitatibus Capitulorum singularim actum fuit.

IV. At Canonici deferta vita communi ad singularitatem, ac unam ad secularitatem magis delapsi, ceperunt ea, quae primitus dumtaxat fuerant simplicia officia, erigi in titulos Beneficiales, & sensim etiam in Dignitates degenerare.

Utique notavit Molanus lib. 2. De Canonico cap. 13. ubi advertens, quod Thesauraria apud quosdam sit officium, a quo si in idoneus judicetur, repellitur: apud plures vero sit aut Beneficium, aut Dignitas, vel Praeminentia, subjungit: "Prius simplicitati vetustatis magis competit; tunc enim omnia officia in Clero erant obedientiae, ut ali- ubi Clerus Colonienis loquitur. Posterius vero ex divitiis enatum est, quae in Cathedralibus, aliisque Capitulis Ecclesiis, varia officia non modo in Beneficia, sed etiam in Dignitates evexerunt.

V. Personatus communiter a Canonistis dicitur, quaedam prerogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum habet stallum in choro honorificum praeter alios: ita post alios tradit Rebuffus ad Concordata titulo De Collationibus, verbo, Personatus: personatumque habere dicuntur, qui hujusmodi prerogativam obtinent.

VI. Quin hujusmodi Personatus labentis disciplinae, & recentioris aetatis factus sint, dubium non est. Neque enim ante saeculum unumdecimum ulla hujusmodi Personatus mentio occurrit.

At sub id tempus Clerici nonnulli Ecclesiarum Personati dicitur ceperunt; illi nimirum qui Ecclesias etiam Parochiales obtinebant, sed curam animarum totumque spirituale officium alieni Presbytero, quem Vicarium suum dicebant, committebant: quemadmodum infra titulo De Competentia Pastoralis laus exponitur occasione Pastorum primitivorum, quibus Personati Clerici multum similes erant; eandemque penae originem habuerunt.

Hi enim Ecclesias obtinentes & titulum sine officio retinentes, proventus Ecclesiarum percipiebant; atque certam Van Espen Jur. Eccl. P. II.

quoque prerogativam, quemadmodum etiam nonnumquam Capitula & Monasteria sub qualitate Pastorum primitivorum, retinerunt, & Personae Ecclesiarum dictae sunt; nihil praeter proventus aliquos, & certa honoris insignia retinentes.

VII. Personatum & dignitatem in jure nonnumquam pro synonymis accipi, noscitur ex variis textibus Decretalium. Et quidem in Cap. 8. De Constitut. Primiceria- tus Tullenis Ecclesiae, nunc personatus, nunc Dignitas, nunc officium appellatur. Rursum in Cap. 8. De Rescriptis, Decani, Archidiaconi & alii dicuntur supprimere nomen dignitatis suae, tamquam si non habeant aliquem personatum. Hic per personatum idem significari, quod antea expressum erat nomine Dignitatis, ex contextu evidens est.

Hujusmodi plures textus occurrunt, qui supponunt, Personatum & Dignitatem synonyma esse. Unde jam pridem notavit Cardinalis Hostiensis in Summa titulo De Praebendis: quod Dignitas sit quadam praeminentia in gradu, quae aliquando vocatur Personatus.

VIII. Non desunt tamen etiam textus Juris, qui dignitatem a personatu distinguere, eaque tamquam inter se diversa statuere videntur.

In Cap. DE MULTA De Praebendis ex Concilio Lateranensi sub Innocentio II. Personatus a Dignitatibus distinguuntur. Cum enim dixisset Concilium, quod jam pridem prohibuitur fieri, ut nullus diversae dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales recipere contra Sacrorum Canonum statuta, postmodum subjicit: "Hoc idem & in Personatibus esse decernimus observandum.

Eadem distinctio non minus aperte occurrit in Cap. STATUTUM De Rescriptis in 6. ubi decernitur, causas a Sede Apostolica non delegandas nisi Dignitate praeditis aut Personatum obtinentibus, vel Canonice Cathedralium Ecclesiarum.

IX. His aliisque textibus allegatis concludit Fagnanus ad Cap. AD HAEC De Praebendis, negari non posse, quin revera in jure sint diversae; "necesseque esse fateri, praedicta differre non solum nomine, sed etiam re & substantia, & verum esse, quod dicunt Archidiaconus, Joannes Andreas & Oldradus: Si horum duorum vocabulorum (Dignitatis & Personatus) virtus proprie sumatur, neutrum est alterum; licet si large sumantur & improprie, vel sint synonyma vel sint convertibilia unum in altero. Num. 11.

Fateatur quoque ibidem Fagnanus, quod secundum locorum consuetudinem haec nonnumquam accipiuntur tamquam synonyma.

X. Si Belgii nostri consuetudinem inspiciamus, passim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Beneficia praeminentiam sive locum honorificum in choro annexum, habentia, sine ulla jurisdictione aut administratione non Personatus, sed Dignitatis nomen obtinent; atque pro Dignitatibus reputantur; uti in Praeposituris multarum Ecclesiarum videri potest. Neque ullus in Ecclesiis Belgicis videtur Personatus cum aliqua praeminentia in choro; sed qui in aliquibus particularibus Ecclesiis Personatus super sunt, in plerique inter simplicia Beneficia recensentur; adeo ut etiam minoribus aetate conferantur, uti ex Zypaeo Andreas Vallensis titulo De Praebendis §. 2. num. 7.

XI. Itaque ex vulgari & communi modo loquendi, hodie in multis Ecclesiis reputantur & dicuntur etiam Dignitates quae nullam administrationem in Ecclesia habent; sed tantum praeminentiam in choro & aliis publicis actibus; tamen uti observat Fagnanus loco citato num. 22. proprie dicta Dignitas sit cum administratione; alias dicenda Dignitas venosa; "quae est (ait) abusive Dignitas, & cuius effectus alius non est, quam ut invidiam generet, & scandalum seminet inter fratres." Quid de Praepositis hodiernis qui nullam administrationem annexam habent, nec a- liquid